

VITA SANCTI PAULI PRIMI EREMITAE

2. Decius et Valerianus Christianorum persecutores

Sub Decio et Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romae, Cyprianus Carthagine, felici cruento martyrium pertulerunt¹, multas apud Aegyptum et Thebaidem Ecclesias tempestas saeva populata est. Votum tunc Christianis erat, pro Christi nomine gladio percuti. Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens cupiebat animas jugulare, non corpora. Et ille, qui ab ipso passus est, Cyprianus ait: Volentibus mori non permittebatur occidi. Cuius ut crudelitas notior sit, duo memoriae causa exempla subjicimus.

3. Duo martyres insignes

Perseverantem in fide martyrem, et inter equuleos² laminasque victorem, iussit melle perungi et sub ardentissimo sole, religatis manibus post tergum, reponi, scilicet ut muscarum aculeis³ cederet, qui ignitas sartagines ante superavisset. Alium virum, iuvenili aetate florentem, in amoenissimos hortulos praecepit abduci ibique inter lilia cendentia et rubentes rosas, cum iuxta leni murmure aquarum serperet rivus, super lectum plumis exstructum resupinari, et ne se inde posset excutere, blandis sertorum nexibus irretitum relinqu. Quo cum, recendentibus cunctis, meretrix speciosa venisset, coepit delicatis complexibus stringere collum et manibus attrectare virilia eius. Quid ageret miles Christi, et quo se verteret, nesciebat. Tandem coelis inspiratus linguam praecisam in osculantis se faciem exspuit. Sic suo doloris cedens libidinis sensum superavit.

¹ Perfero, ferre, pertuli, perlatum

² Equuleus, i, m. - mučidlo

³ Aculeum, i, n. – bodák, žihadlo